



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 56. Gentilis ad revocandos errores inductus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

„Symbolum D. Athanasio adscriptum Sæcul. XVI.
 „omnino Sophisticum est, quia ibi quar- A.C. 1558.
 „tus Deus introducitur; hic ipse vero
 „Sanctus nil nisi Magus, & sacrilegus
 „est, qui Christum dilacerat. IX. Sub-
 „stantia Patris, & Filii duæ sunt sub-
 „stantiæ. X. Denique Valentinus Ma-
 „hometis Alcoranum in tanta habebat
 „veneratione, ut illum cum veteri, &
 „novo Testamento conferre non ab-
 „horreret.,

§. LVI.

*Gentilis ad revocandos errores in-
ductus.*

Ceterum ob insulsa hæc dogmata Gen-
tilis passim Tritheitarum Parens
nuncupari promeruit: postquam vero
Seniores Italicæ hujus Ecclesiæ, quam
Genevæ conflatam memoravimus, hosce
errores latius diffundi compererant,
toti in eo desudabant, ut obicem pone-
rent calamitatibus, quas per ejusmodi
novitates suis Ecclesiis impendere vere-
bantur; hinc primo quidem modo ad-
modum moderato incedentes fidei ar-
ticulos, qui Ecclesiæ doctrinis circa
Mysterium Trinitatis consoni erant, con-
scribebant, eosque die decima octava
Maij Anno Salutis reparatæ millesimo
quingentesimo quinquagesimo octavo
exhibebant, ut vero, quid de illis Va-

Sæcul. XVI.
A.C. 1558.

lentinus sentiret, luculentius pateret, cuiuslibet suam desuper opinionem proferendi libertas dabatur; mox vero hic non minus, ac Alciatus contra hosce articulos declamare cœperunt, eorumque potissimum tres, vel quatuor vehementius impugnabant. Verum omnibus Congregatis huic doctrinæ subscribentibus, ipsi recesserunt, ceterorum exempla minime sequi, firmo statuentes animo: unde nonnisi ad summas quorundam Amicorum suorum preces aliorum sententiæ cedebant, expositisque articulis sua quoque apponebant nomina, quamvis vero sat simile sit, quod id a Valentino fide haud integra factum fuerit; hic enim, prout cœperat, sacrilegam suam doctrinam spargere pergebat.

§. LVII.

Valentinus carceris pœna ad ejurandam suam hæresin compulsus.

Interea Calvinus, cum sedulo cuncta Valentini consilia exploraret, e re sua fore arbitrabatur, ut illum vel criminis reum convinceret, vel saltem ad perpetuum silentium cogeret, quapropter ea de re Judices certiores reddens, eos sollicitabat, ut Valentinum carceri darent: Itaque cum Magistratus Calvini monitis aquiesceret, Gen-
tilis